# CONSIDERATIONES
## PONDERATAE,
## ET
## PONDERATIONES
## CONSIDERATAE,

Quę ponderantur, & considerantur, ex consideratis, & ponderatis verbis positis in Pragmatica ædita per Sacram Regiam Maiestatem Madrid die 12. Iulij 1630. & Neapoli obseruata die 28. mensis Iulij 1631.
Pro examine officialium eligendorum pro administratione Iustitię in præsenti Regno Neapolitano.

*PER ELISÆVM DANZA A MONTE FVSCOLO*
*V.I.D. & in Regia Audientia Principatus Vltra Causarum Patronum.*




TRANI, Typis Laurentij Valerij, Superiorum permissu, MDCXXXII.



# ILLVSTRISSIMO DOMINO CAROLO DE TAPIA

## BELMONTIS MARCHIONI SVPREMI ITALIAE CONSILII REGENTI.

Et in Neapolitano Regno Decano dignissimo.





AROLI Magni, Illustrissime Carole, famam multis in Chronicis celebrem fuisse legimus. Nam præter quàm quod speciosus forma erat, vt huiusmodi Maiestate dignus videretur; fuit itidem in loquendo eloquens, in incedendo grauis, Populorum instaurator, in reddendis beneficijs gratus, in puniendis erroribus pius & clemens, in iudicando iustus, in regendo rectus, in imperando temperatus, Peregrinorum, pauperum, ac inopum liberalissimus: fuit etiam templorum ædificator, Hæreticorum, ac infidelium subiugator, & præcipuus Sanctę Ecclesię defensor, vt propterea in cunctis bellis victorem fuisse, & tot tantaque regna sibi comparasse, cunctis manifestũ esse appareat.

Qui quidem, non absque diuino Omnipotentis Dei auxilio præliabatur. In quolibet enim prælio, ac conflictu voluntatem suam, ac mẽtem similiter pro fide Christiana tuenda, illaque exaltanda, ac hęresibus debellandis intendebat, singulares virtutes, ac singularia merita habuit. Et vt alias eius virtutes omittam, in nouis legibus condendis parcissimus fuit, adeò, vt cum tam diù ille Imperator vixerit, pauca legum capita sanxisse dicatur, at in veteribus, vt seruarentur, restituẽdis

dis multus fuit,ex Io. Acochier. Thesaur. Politic. lib. 2. cap. 4. num. 4. Optima enim ratione hoc peragebat:nam mutatio consuetudinis, etiam si vtilitate adiuuet,nouitate perturbat, ex epist. Diu. August. 118. Fuit adeo etiam religiosus,vt Clericorum causas nunquam nouerit, sed illas Episcopis remiserit, multa beneficia in sacros homines ille Rex Christianissimus contulerit,vt ex historijs scribit,& refert D.Regens Valezuela doctissimus tuus collega in tract.contr.Venet. par. 4. num. 23. quinimò par. 7. num. 110. Et propterea eius Religionem fuisse præclarissimam,cum in vnum congesserit sex Apostolorum corpora,aliorumue plurium martyrum reliquias, quas Tholosam asportandas curauit,vt refert Petrus Gregor.Tholos.nonnullorum auctoritate syntax.iur.vniu.lib.2.cap.12.nu.2. Et ex eod.Petr.Gregor.lib.47 cap 16.num. 2:habetur,Carolum hunc,antequam Imperator Romanorum fieret,Patritium fuisse creatum. Patritij enim tunc temporis reipublicæ,vti patres filijs,prospiciebant,& in ipsa regenda potestas consularis potior erat.Cuncta hæc Caroli magni merita,tibi referenda,(ni fallor) credo,tibi inquam hoc nomine digno,cum virtus,merita,& prudentia Caroli in te sint,regnent,simulque concurrant.Si Carolus ille forma egregius,viribus, auctoritate,& clementia præditus fuit,tù, Illustrissime Domine,inter cunctos mortales speciosus es,eloquẽs,fortis,atque clemens. Quandoquidem absq; inclementiæ suspicione aliqua virtutis auctoritatem,potestatis facultatem,& vim operandi exerces,adeò,vt vereatur,num maior sit,an vis & auctoritas,an pietas & clementia. Si notabilis Caroli Magni religio fuit in corporibus sacris,ac reliquijs cõgregandis, præclarissima est tua religio,qui veluti eius imitator,omnes Religionum ordines in vnum reduci curasti,vt patet in tractatu Religioso, quem cõdidisti super authen.ingressi,C.de sacros. Eccl. in quo ieiunus non erit studiosus lector scire cunctarũ Religionum,religiosorumue principia,ac institutiones.Si Carolus ille magnus,antequã Imperator fieret,Consul electus fuit,tu antequam in Consilio Neapolitano Senator esses, Consul in ac Prouincia fuisti,cuius regimen adeò hodierna luce cõmendatur,cum gentem furore munitã Prouinciam subuertentem,Regnum ferè conuersum ex inordinata exactione,tanta cum diligentia,paucorum dierum spatio numero centum septuaginta duorum testium depositione pro vtraque parte recepta,intus ciuitatem Neapolis, ordine illius Domini tunc Proregis iurisdictionem administrando,ad quietem,& concordiam reduxisti,& adeo roborasti, vt a tuo ordine recedere, cœlum esset hodie digitis tangere, & ad reprimendam inobedientium audaciam, huic Regiæ Audientiæ facultatẽ de dignoscendis officialibus delinquentibus,virtute specialis prærogatiuæ per Regiũ Collaterale Consilium impartitæ radicatam esse asseris,in Comp.Iur. Regn.in const. Magister Iustitiarius num. 8. quæ cæteris Regni Audientijs abdicata est,& hodie omnimodò seruatur. Prudens ille Carolus fuit,tu quoque maiorem prudentiam demonstras, cum calumniantium linguæ flagello tuæ auctoritatis euulsæ, falsa adducere non audent;& nulla animi perturbatione,quod diuini muneris esse ab omnibus censetur. Nihil est, quò magis ad virtutem informetur animus, quàm magnitudo. Vnde si Carolus ille Magnus dictus fuit, tù amplissimè Regens, tuis vigilijs duo volumina Iuris Regni compilasti, adeo vt ampliatæ sint

viæ

vię, dilatatę sint fimbrię cuncta differendi, pro iuris publici conseruatione, ex quo hoc magni epithetum tibi conuenire reor. Magna fuit lætitia, cum Carolus ille Imperio fuit decoratus, maximum fuit Neapolitanorum, ac totius Regni gaudium, cum ad Regentatus officium, ac munus meritò assumptus fuisti, & pęnes Catholicum Regem nostrum in supremo Italiæ Consilio deputatus, in quo, tum operibus, tum etiam eruditione, ac virtute, Caroli te in facundia, auctoritate, prudentia, conscientia, & sapientia successorem demonstrasti, imo maiorem. Imperator enim ille parcissimus fuit in condendis legibus, tu pro veteribus cōseruandis, nouis inducendis, noua opera, nouas ordinationes, institutiones, & constitutiones ad Dei laudem, Regis seruitiū, & publici bonum magno cum labore, vigilātia, & industria condidisti. Et post alia decisiones Sacri Consilij Neapolitani vtiles, & necessarias in lucē dedisti. Et quod per totum Orbem tuæ virtutes clarescunt, tua merita præfulgent, tuique Illustres mores omnibus patent, nedum tot tantæ linguæ aridæ ad loquendum effectæ sunt, verum etiam calami ad scribendum. Legatur quæso Molfes. ad consuet. Neap. par. 3. quæst. 21. n. 20. qui te nunc virum doctissimum, maximę probitatis, & eloquentiæ, alijsque virtutibus præditum, nunc meritissimum Regentem appellat. Dominus Fuluius Constantius, qui sicut in vita pręfulgens, & constans fuit, sic gloria æterna post mortem fruitur in l. vnic. C. de Classic. lib. 11. num. 74. ibi te doctissimum, meritissimum, & ingeniosissimum suum collegam, & Belmontis Marchionem acclamat. Dominus Rouitus, qui tecum nunc in Collaterali Consilio locum Regentis occupat, sibi tamdiù debitum propter eius probitatem, virtutem, & conscientiam, in prag. 11. de suspicione officialium num. 4. te dignissimum Regentem, & Marchionem extollit. Et ab exteris nationibus Mar. Giurb. decis. 1. num. 4. te eruditum, ingeniosissimum, summęq; auctoritatis, & doctrinę Iureconsultum benemeritum appellat, & iterum dec. 99. num. 2. te virum inexhausti laboris, ingenij, ac susceptæ molestię exornat, & quòd propterea tua Neapolitana Ciuitas multum tibi debet, & iterum dec. 118. num. 12. te eloquentissimum, & omni doctrina ornatissimum, meritissimumque vocat. Don Franc. de Castill. dec. 158. num. 13. te Marchionem Belmontis dignissimum, & Regentem prædicat, pręter alios innumeros hoc testantes. Sic enim decet, nam legis pater, & filius es; donator, & hæres, vnde si tot merita præfulgent virtutesque concurrunt, non mirum est si homines totis viribus conantur te laudibus prosequi, teque venerari, & ego licet minimus inter tuos seruulos hisce tuis meritis fretus cōstitui me huiusmodi tibi exhibere, & respice quæso, non quę dixerim, sed quę dicenda sint, cor non virtutem intuendo, precor altissimum, vt tuam celsitudinem, in quo omnis huius Regni spes residet, præseruet incolumem. Montis Fuscoli die 19. Decembris 1631.


Vestræ Illustrissimæ Dominationis

Humilimus seruulus

Elisæus Danza.

# CONSIDERATIONES PONDERATAE, ET PONDERATIONES CONSIDERATAE,

Quę ponderantur, & considerantur, ex consideratis, & ponderatis verbis positis in Pragmatica ædita per Sacram Regiam Maiestatem Madrid die 12. Iulij 1630. & Neapoli obseruata die 28. mensis Iulij 1631. Pro examine officialium eligendorum pro administratione Iustitiæ in præsente Regno Neapolitano.



ARGVMENTVM.

Pragmatica quid sit, & vnde sit dicta.

Consideratio quid sit.

Quæ differentia sit inter considerationem, contemplationem, cogitationem, & meditationem.

Examen quid sit.

De quo iure est introductum.

Quę caussa fuit Pragmaticæ.

In Officialium electione quæ desiderentur

In Officialium approbatione, quę requirantur.

Assessor, siue Consultor à quo eligatur, & quæ facere possit.

*SVMMARIVM.*

*Actus quotuplex sit, num.* 79. 83. *&* 84.

*Alexander Stefanellis laudatur, num.* 93.

*Approbatus an possit reprobari, num.* 54. 55. *&* 80.

*Approbatus ad vnum officium, an debeat pro alijs examinari à num* 52. *ad* 57.

*Approbatus extrà Regnum, an in*

Officiales

SI Franciscus Viuius Aquilanus viueret; si Frãciscus de Leonardis Neapolitanus humanã vitam ageret, pręgaudio gloriarentur, & præ gloria gauderent, prò lętitia exultarent, & prò exultatione lætarentur, ex caussa examinis officialium, & Iudicum introductæ in Regno Neapolitano, vigorẽ Pragmaticæ per inuictissimum Regem Nostrum Philippum emanatæ Madrid die 12. Iulij 1630. & Neapoli die 28. Iulij 1631. exequtæ, dùm illam vterq; Franciscus acclamauerit, necessariamq; in Regno fore dictum reliquerit, ille in decis. 270. num 4. 5. & seq. necessariam, & sanctam vocat, & nullam rem vtiliorem posse in hoc Regno Regem excogitare, & exequi; hic in eius practica officialium, tit. de elect. offic. cap. 2. num. 67. desiderio desiderabat, in Regno introduci; iàm fuit introducta, emanata, & publicata, & in dies obseruatur.

Verùm, quia in illa sunt posita verba considerabilia, ponderatè considerand sunt, vt eius dilucidatio habeatur; congruè .n. videtur per tramites considerationum hunc sermonem facere. Et primò videndum est, quid importet illud verbum Pragmatica. Secundò quid sit consideratio. Tertiò quid sit examen. Quartò de

quo

quo iure est introductũ. Quintò quæ fuit caussa, qua Sacra Maiestas mota fuit ad hanc Pragmaticam emanandam. Sextò, quę concurrere debeant in officialium electione. Septimò quæ requisita adhibenda veniunt in officialium approbatione.

## Consideratio I.

Qvò ad primam, illud verbum Pragmatica, quid
1 significet, vndè sit dicta, & quid operetur, dixi latè ad Prag. 10. de offic. Iudic. in Proem. ibi te remicto, ne hic exemplare videar.

## Consideratio II.

Qvò ad secundam, consideratio est omnis operatio
2 intellectus, vel processus rationis ex principijs pertingentibus ad contemplationem veritatis, ex B. Thom. secunda secundæ, quæst. 180. artic. 3. vers. quamuis, qui differre asserit considerationem, cogitationem, contemplationem, & meditationem. Consideratio enim est illa, quæ confusa discriminat, sparsa colligit, secreta rimatur, verum inuestigat, verisimile examinat, & fruata explorat, agenda prçordinat, acta recogitat, in aduersis prosperat præsentia, in aduersis quasi nõ sentit, ex B. Bernard. Sermone 37. super Cantic. Sed consideratio ad nostrũ institutum duplicem sensum habet Anagrãmaticè loquendo, consideratio, & est primus, quasi dicat sit ratio. Secundus consideratio, quasi dicat, nè desit ratio. Ergò rationabile est, vt cuncta verba Pragmaticæ consideremus, & per considerationes illa dilucidanda sint.

## Consideratio III.

Qvò ad tertiam hoc verbũ examen, significat perpen
3 do veluti trutina quadam expendo, quasi per pensionem quanti ponderis, quæquę sit res exquirimus, atq; cognoscimus, & idem est, ac exquirere, extimare, & cognoscere, idest, quod per examinationem veritas exquiritur, Fiamin. Cartar. de interrogand. reis lib. 1. cap. 1. num. 9. & seqq. A cuius verbi literis Anagrammaticè
4 sensum capiendo sumitur est Amen, quòd verbum affirmatiuam importat, & omnibus commune est examinandis, & examinantibus, illis si iusta interrogationem faciendam, difficultates proponẽdas, quæstiones formandas formitèr respondeant, verbum Amen conuenit. Istis, qui auditis responsis formiter factis, & habili-

bilitate examinati cognita di-
5 cant Amen, ideſt admictan-
tur, nàm docenti, & diſcenti,
idem debet eſſe propoſitum,
vt ille prodeſſe velit, hic profi-
cere, vt docet Senec. in epiſt.
108. verſ. idem.

Vel, vt melius dicam ex li-
teris in hoc verbo examen po-
6 ſitis colligitur menſa, quaſi di-
catur, ſicuti in menſa tot, tanti-
uè cibi delicati ſuaues, & ſapo-
roſi præparantur, vt comeden-
tes repleantur, itá in hoc exa-
mine adſunt tot cibi Iuris Ca-
nonici, Ciuilis, Pragmaticarũ,
Rituum, Capitulorum, & Con
ſtitutionum Regni, quibus in-
terrogandus repletur in illis
verbis: *Y noticia de las Prema-
maticas, Conſtituciones, Ritos,
Capitolos d'eſſe Reyno*. Et quem
admodum in menſa non feſti-
nantèr cibi ſumuntur, & non
ad ſaturitatem, ſed paſſim, &
quantum calor comedentis
admictit, & eius vires ſufficiũt,
propter quod Fernand. Nauar
ret. Hyſpanus in eius pulcro
tractatu intitulato Cõſeruaçiõ
de Monarquias, y diſcurſos po
liticos diſcurſ. 36. tit. de los ga-
ſtos en las comidas. Magnificũ
apparatum conuiuiorum, &
ſuntuoſam largitionem, quæ
egeſtatem parit, damnat, &
modum tribuit, quomodò mo
7 deratè in cibis ſumendis om-
nes ſe preferre debent, & Lipſ.
lib. 3. antiquar. lection. cap. 1.
fol. mihi 491. col. 2. Ità hoc
examen, in quo digeſtio habi-
litatis, & ſufficientia examinan
di habetur, debet eſſe, non le-
ue, nõ graue, ſed proportiona-
tum, & paſſim, cum per partes
peruenitur ad totum exami-
8 nandi, non aſperè interrogan-
di ſunt, vt docet Cartar. de in-
terrog. reis lib. 2. cap. 3. nu. 7.
Et Senec. in epiſtol. 108. in
qua modum legendi, & au-
diendi docet, & legentem, &
audientem Doctorem, & irri-
tatorem vocat, hæc verba pro-
fert. Nec paſſim carpenda ſunt,
nec auidè in vadenda vniuerſa
per partes peruenitur ad totũ,
aptari onus viribus debet, nec
plus occupari, nõ quantumuis
hauriendum eſt, quo plus reci-
pit animus, hoc ſe magis laxat.
Hæc ille, nam ſicuti ex copia
ciborum ſubtilitas animi impe
ditur, vt idem Senec. teſtatur
in epiſt. 15. & ex Iob. cap. 1.
legitur, quod diuidebat vni-
cuiq; prout poterat, ita ex abun
dantia, & ſuperfluitate inter-
9 rogationum animus interro-
gandi debilitatur, & propterea
dicitur examino, quaſi, quòd
ex animo prodeat, aliàs non
dicitur examinare, ſed potius
exanimare, facultas enim no-
ſtra conſiſtit in puncto, ideſt
memoria, quæ labilis eſt, vul-
gatis iuribus.

Con-

# Consideratio IV.

QVò ad quartum, nempè de quo iure sit introdu-
10 ctum, & quod à iure diuino proueniat, ex multis exemplis in Sacra pagina scribit Flamin. Cartar. in Citat. tract. de interrog. reis lib. 1. cap. 1. num. 13. sed ad nostrum institutum nõ est considerandum illud examen, quod refert Boccalin. in eius dictis, tom. 1. raguagl. 14. fieri singulis mensibus certa die constituta, in qua virtuosi, & literati concurrunt, admicti in collegio petentes, & maioritatem desiderantes, sed tantum hoc examen, quibus in locis ~~seruetur, & est sciendum,~~ quòd in Regno Franciæ seruatur, vt testatur Cosma Guy-
11 mier. in Prag. Franciæ, tit. de collationib. fol. mihi 117. n. 5.

In Regno Hyspaniarum duas adesse leges, vnam per Im-
12 peratorem Carolum V. alteram per Serenissimum Regem Philippum, quibus cauetur cunctos Officiales pro quolibet officio illius Regni esse examinandos, & admictendos, nõ obstante, quod sint approbati, affirmat Bouadill. tom. 1. politicor. lib. 1. cap. 6. num. 27. & seq. & iterum lib. 1. cap. 16. num. 25. & iterum eod. lib. cap. 12. num. 16. & seq.

Seruari in Vrbe testatur Viu. citar. decis. 270. num. 3.
13 & seq. & de Leonard. in practic. Official. tit. de elect. Official. cap. 2. num. 67.

Fuisse seruatum ab Enrico II. in anno 1547. testatur Petr.
14 Greg. Tholosan. syntag. Iur. Vniuers. lib. 47. cap. 33. n. 9. qui de qualitate, & examine Officialium statuebat, imò idẽ Petr. Greg. syntag. Iur. Vniuers. lib. 18. cap. 17. num. 1. par. 1. testatur, quòd officiales eligebantur per tres menses ante officium acceptum, vt populus de eo certus, quid sentiret, affirmaret, vt rectior administratio redderetur, quòd sequitur Petr. Fernand. Nauarett. in lib. Conseruaçion de Monarquias, discur. 28. ad fin. qui infert optimum præsidium esse, ante tempus electionem officialis publicari, & sic seruasse Imperatorem Alexandrum Seuerum, sequitur Bouadill. to. 1. politicor. lib. 1. cap. 6. num. 8. & 9. & idem Petr. Gregor. citat. loc. lib. 36. cap. 29. nu. 24. par. 2. asserit officiales post de-
15 positum officium debere abstinere per biennium, vel quinquennium ad tollendam ambitionem, vt inter vacationem, & repetitionem eius qualitas cognoscatur, licet limitet n. 25. nisi necessitas vigeat, & qualitas officialis, eiusque capacitas sit adeò nota, quod examen nos seruari videmus, nè dum in omnibus ordinandis, vt per

Petr.

Petr. Gregor. Toloſan. partit. Iur. Canonic. lib. 4. cap. 3. n. 3.
16 Verum etiam in Epiſcopis, & in beneficijs, quòd quomodo fiat, recurrendum eſt ad Flamin. Pariſ. de benefic. reſignat. lib. 8. quæſt. 9. num. 96. 98. 102. & 105. & iterum lib. 9. quæſt. 9. num. 5. & non poteſt ommicti. Et ſi beneficium
17 eo non precedente fuerit collatum, collatio non valet, & ſemper beneficium vacare dicitur, etiam quod perſona ſit notoriè docta, & qualificata, Paul. Fuſc. in tract. de viſitat. lib. 6. cap. 5. num. 8. 9. & 10. Et adeò eſt verum, quod ſi quis beneficium obtinuerit, etiam quod ſit primo examinatus,
18 debet iterum ſe examini ſubijcere, idem Pariſ. de benefic. reſignat. lib. 7. cap. 5. num. 21. Examen enim deſideratur, ne dum quoad ſcientiam, verùm etiam quoad mores, & alias qualificatas virtutes, quæ in electo concurrere debent, ex Fuſc. citat. loc. Talitèr, quòd ſi Clericus ordinem ſuſcipiens
19 fuerit examinatus, & approbatus, inde fuerit præſentatus ad beneficium, debet ad illud iterum approbari, Nauar. conſ. 2. de præbend. lib. 3.

Et in Regno noſtro Neapolitano adeſt capitulum Regni 273. in ordine aliorum capitulorum ęditum per Reginam Ioannam incipient. Vt ſtatus Reipublicæ reformetur, in
20 quo fuit ſtatutũ officiales promouendos examinãdos eſſe in illis verbis: Et antequam ipſis de officijs prouideatur, examinentur per Prothonotarium, ſeu eius Locumtenentem, & aliquos de Conſilio, ſequitur Frecc. lib. 1. de ſubfeud. tit. de offic. Locumtenen. & Prothonot. num. 8. aſſerens hoc capitulum non ſeruari, & Illuſtriſſimus Marchio Belmontis Regens Tap. in eius compend. Iur. Regn. in eod. capit. in verbo examinentur num. 8. te-
21 ſtatur hoc capitulum non ſeruari, ſed loco examinis Illuſtriſſimos Proreges à Dominis Regentibus relationem habere debere de meritis, & habilitate prouidendi, quod fuit ſimiliter ordinatum per Regem recol. memor. Philippum Secundum in anno 1559. in inſtructionibus datis Domino Duci Alcalanorum tunc huius Regni Viceregi, vt ex Inſtructionibus ſibi aſſignatis pro bono Regni regimine, adeſt capitulum 179. tenoris ſequentis: *Y porque eſta claro, que los Regentes de la Cancellaria, como es raçon, han da tener notiçia delas perſonas ſufficientes para los officios, que no lo Viſorreyes, por ſer ellos mas viejos en el Reyno, y te-*
22 *ner mas practica con las tales perſonas, deſſeamos ſummamente,*

*que en las prouisiones de los officios se acierte, y no se haga error, por consistir la principal parte del gouierno en tener rectos, y habiles Officiales, y no corruptibles, os encargo, y mando, que antes de proueer los officios, que tocan à vuestra prouision pidais el pareçer à los dichos Regentes, pues es de creer, que hagan en esto lo que deuen.* Fuit adeò sanctum propositum prædicti iustissimi Regis, quod circa electionem Officialium particulare onus esse præferebat, & eidem Proregi per aliud cap. 39. infrascripta iussit: *Los otros Officiales annales, y bienales, como son Regentes, y Iuezes de la Vicaria, Auditorados de las Prouinçias, y Capitanios de Ciudades, porque en ellos consiste muy gran parte de la buena, ò mala gobernaçion del Reyno, y nos estando absiente, no podemos tambien conoçer la calidad, y sufficiençia de tantas personas para proueer de los dichos cargos, y officios, es nuestra volontad, que vos lo proueais, y para ello os damo facultad mas, porque semos enformados, que los dichos officios no se probean de algunos Ministros, como deuian antes en proueerlos se tenia mas respeto à las personas, que à los officios, de manera, que vnos se daban por respectos de seruiçios, y otros de personas, que ruegan, y importunan por ellos, y al fin alguna parte d'ellos se vendian, y compraban, cosa muy enorme, y fea, y preiudicial al bien publico, y por consiguiente agena de nuestra voluntad, os encargamos, que en esto esteis muy sobre el auiso, para que no anden semejantes tractos, ni los officios se prouean, sino à personas, que vos conoçieredes, ò tubieredes bastante informaçion, que son habiles, y sufficientes para ellos, y si à caso hallaredes, que alguno huuiere dado, ò offreçido dinero por semejante officio, al quale lo diere, ò offreçiere, declarareis inhabil para tener officio publico en todo el Reyno, y el que lo aceptare, ò reçibiere, hareis, que sea castigado con todo rigor, y que assi mismo sea declarado por inhabil para tener officio publico en todo el Reyno, y de executar esto teneis siempre muy grande cuidado, y no remictireis, ni commutareis las dichas penas sin consulta nuestra.* Verùm, quia affirmantes, & officia petentes tuebantur citatum capitulum Regni, non esse in vsu, & intelligi debere in casu de quo loquitur, nempè de Assessoribus, & Iudicibus assistentibus officialibus, de quibus idem Leonard. in pract. de officialib. tit. de elect. official. nu. 68. ad introducendum examen, vt tollerétur omnes disputationes, fuit emanata pragmatica, per quam fuerunt comprehensi omnes Officia-

Officiales in illis verbis: *En offiçio de Iuezes de dicha gran Corte de la Vicaria, Auditores de Prouinçias, Iuezes, y Assessores de Tierras Demaniales, y Baronales, y qualesquier otros exerciçios, y occupaçiones de administraçion de Iustiçia.* ergò meritò hæc pragmatica fuit emanata, necessaria iudicari debet, & non est aliud quęrendum.

# Consideratio V.

QVò ad secundum, nempè quæ fuit caussa, qua Sacra
23 Maiestas fuit mota ad hanc Pragmaticam emanandam, & hoc examen introducendum; & expressa est in eadem Pragmatica in illis verbis: *Que son hombres moços sin experiençia, y sin hauer praticado en los Tribunales d'essa Ciudad, ni ser approuados por el Consejo Collateral.* Et Bouadill. tom. 1. politicor. lib. 1. cap. 6. num. 29. testatur magnum esse laborem cum Iudicibus iuuenilis ętatis, & nouis medicis rem habere, carent enim experientia. Sanctissima fuit prouisio, cum ex ele-
24 ctione officialium, bonum, & malum oriatur; & Bartholom. Fum. in sua summ. aur. in verb. officium fol. 203. ait omnis ratio virtutum, & studiorum tollitur ex eo, quod inconsideratè conceduntur officia, plerique, aut adolescentes rerum imperiti, aut imprudentes Senatores fiunt meritò, vt eligan-
25 tur periti, habiles idonei, & requisitis induti sanctissima iudicatur hæc pragmatica: & cum quilibet inconsideratè officia prætendit, vt in illius verbis: *Los que pretendieren*, quod verbum prætendere, idem est præsumere. Vndè cōsiderandum est, quod præsumptio hominis duplex dignoscitur, vna illicita, altera
26 licita. Prima iudicatur quandò quis ad sui augmentum honestè petit, nempè repręsentando Principi, vel seruitia, vel quid aliud, ex quo finem consequatur, & cum hac honestiori petitione, non contradicat dehonesta administratio propter alias qualitates non concurrentes, illa reprobatur, ista tolleratur, & permictitur. Hinc Sotus granum salis addit, vt petat ad Dei gloriam, & vt ad publicum communeq; cōmodum
27 elaborare possit; vnde D. August. de Ciuitat. Dei lib. 19. vocat decentem administrationem honestam, conuenientemq; petitionem, multa enim honestè accipiuntur, inhonestè tamen petuntur, & è contrà. & proindè sanctissimam rem quidem, & ciuilem sapientiam vocat illam, quæ non est dehonestanda Iure-

28 consult. in l. 1. ff. de var. & extraordinar. cognitionib. & habenti hæc requisita, coertio potest imponi, vt exerceat: Nàm Aristotil. lib. 2. politic. cap. 7. nè dum officialis electionem capacis, & recti inferr,
29 verùm etiam & coërctionem concedit; & de istis officialibus his virtutibus decoratis, moribus ornatis speratur cunctarũ rerum recta administratio, subiectorum salus, & custodia, & omne aliud bonum, ex Isaia cap. 33. quibus omnis honor exhibendus est, nempè assurgere, caput aperire equo, aut curru descendere, ferrum ponere, Lips. lib. 1. electorum, cap. 23. littera D, fol. mihi 617. & Senec. in epist. 65. sic ait: Si Consulem videro, aut Prætorem, omnia quibus honor haberi solet faciam, equo desiliam, caput aperiam, semita cedam. Et inter alia, quæ Diuus Bernard. in epist. ad P. P. Eugenium aduertit, vt eligeret viros probatos, non probandos, & illos quorum fides non per Internuntios, fautores, aut interpretes, sed ab ipso proprijs oculis, & auribus probantur, decipiuntur enim Principes, quando quis habet dominos testes, & ciues laudantes, ex Cassiodor. meritò igitur iustissimus Rex Pragmaticam promulgauit.

# Consideratio VI.

NEcessariam puto, vt ad sextam deueniam, nempè quæ desiderentur in officialibus eligendis, & est sciendum,
30 ꝙ requiritur, quod sint Deum timentes, veritatis amatores, auaritiæ odiosi, fortes, & potentes, prudentes, & humiles, & ad horum omnium dilucidationem oportunè, & congruè quodlibet requisitum declarãdum fore censeo.

Primò oportet, vt Deum timeant, ex Exod. cap. 18. leguntur hæc verba: Prouide viros potentes, & timentes Deum, in
31 quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis Tribunos, & Centuriones; & Beatus Crysostomus ait ex Prouerb. cap. 29. Qui timet Deum subleuabitur, qui timet hominem cito corruet, & illud verbum potentes, interpretatur sapientes, ex Ecclesiastic. cap. 5.

Debent esse prudentes; pru-
32 dentiæ enim esse annexas cunctas virtutes concludit Aristotil. 6. ethicor. Hinc Democrite interrogato, querenti respondit in homine prudentiam cõsiderari.

Debent esse amatores veritatis, tùm quia auctoritas sine
33 veritate nihil valet, ex B. August. tùm etiam in perquirendis delictis ipsam inuestigare

debent

debent in quacunque parte Iudicij.

Debent esse ab interesse extranei, ne eius in occecatione iustitiam peruertant, ex Exod. cap. 16. officia enim non conceduntur, vt ditiores ex aliena substantia fiant, sed potiùs, vt
34 ad Dei seruitium, & publicum bonum vacent, & huiusmodi electi, tum meritum quærunt, cum pecuniam non amant, ex Cassiodor. lib. 9. epist. 12. & in cap. 1. de re iudicat. in 6 habentur hęc verba: Nihil vendicet odium, nil fauor vsurpet, timor exulet præmium, aut expectatio præmij, iustitiam non euertant.

Debent esse humiles, humilitas enim omnia vincit, & superbia cũctorum peccatorum origo est, ex Ecclesiast. cap. 10.
35 Et quandò quis est ad officia eleuatus, humilitatem amplecti debet, & recordari, quod est vnus ex illis, qui secum assistunt. Ex Ecclesiast. cap. 32. dignoscitur his verbis: Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis, quasi vnus ex ipsis. Et ex Prouerb. cap. 11. Colligitur, vbi superbia, ibi contumelia, vbi humilitas, ibi sapientia. Et officiales hæc obseruantes Isaias altitudinem pollicentur, cum in cap. 33. hæc verba
36 protulit: Qui ambulat in iustitia, & loquitur veritatem, qui proicit auaritiam, & excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & claudit oculos, ne videat malum, iste in excelsis habitat. Sed ad quid elaborare in descriptione officialium requisitorum, si ad examinatorum instructionem, examinandorum normam subditorum scientiam, cunctorumq; cognitionem Illustrissimus Regens Carolus de Tapia Belmontis Marchio, famæ Orbi notæ, virtutis á cęlo descensæ more suo dilucidatum, & obstentatiuum modum seipsos gerendi ostendit in compend. Iur. Reg. tom. 1. tit. de offic. in Regn. constitut. à num. 1. ad 40. & Bouadill. tom. 1. politicor. lib. 1. cap. 3. num. 22. cum pluribus sequentibus: & D. Regens Rouit. cuius hominem ab aliquid sęculis non fuisse maiori ingenio, & vberiori iudicio persuadeo in prag. 1. de Officialibus. Verùm quia huiusmodi mores sunt ad intrà, quorum solus Deus scrutator est, vt aptiores ad administrationem Iustitiæ cognoscantur iusta, rationabilis, & iuridica sanctio orta est, ex citat. Pragmatica, ex qua examen fuit introductum.

## Consideratio VII.

AD septimam descendo, vt promissa seruem, nempè

quæ

quę concurrere debent in examine, & approbatione; audio 37 seruari, q porrecto memoriali E. S. remictatur Illustrissimis Dominis de Iuncta ad hoc deputatis, & vocato examinando, assignantur duo processus, vnus Ciuilitatem continens, alius caussam Criminalem actinens. Indè die sequenti in domo Illustrissimi Decani Collateralis conueniunt, examinandus relationem de caussis, & eius meritis facit eius votum tribuit, & rationem assignat, & ab illis Dominis super diuersis 38 interrogatur, & iuxta sufficientiam, habilitatem, & capacitatem approbatur, ex verbis in Pragmatica positis: *Declaren en la aprobaçion, que hiziessen especificadamente, segun la capacidad de los sujetos paraque ministerio, y esecuçion los aprueban.* & sunt examinandi, nè dum in Theorica, verùm etiàm, & in practica in illis verbis: *El esamen se haga, nò solo por lo tocante à la Theorica, si nò à la Practica.* & sic seruari in Regno Hyspaniarum refert Bouadill. tom. 1. 39 politicor. lib. 1. cap. 6. nu. 28. qui dicit in Iudice necessariam esse practicam, & Theoricam, ex Theorica, quæ resultat ex scientia, oritur prudentia in iudicando, ex Practica experientia.

# Consideratio VIII.

Explanatis considerationibus promissis, aliud considerari, & quæri potest, si non omnes Domini de Iuncta interueniunt, & fuerit quis admissus, an dicatur iuxtè appro- 40 batus, posset prima fronte dici, quòd sic, nam si maior pars concurrit ad approbationem, dicitur admissus, tamèn pro negatiua tenendum est, tùm ex regula in l. duo sunt Titij ff. de testament. tutel. & l. non putauit, §. non quæuis ff. de bonor. possess. contra tabulas, non dicatur examinatus qui non ritè fuit examinatus, cum paria sint nullum esse, & non esse.

Vlterius si duo sunt Iudices delegati, vnus sine altero agere non potest, Gratian. discept. 41 Forens. cap. 474. nu. 31. Tantò fortius, quantò Sacra Maiestas formam tribuit interuenire debere tres in illis verbis: *Deputeis vna Iuncta de tres Ministros, los que os pareçieren mas à proposito, vno de mi Consejo Collateral, otro de mi Consejo de Santa Clara, y otro de mi Regia Camara de la Summaria, y les ordinareis se Iuncten vn dia de* 42 *cada semana en casa del Regente de Collateral el dia, y hora, que les señalaredes, paraque ante ellos sean examinados, los que pretendieren occuparse en officio.*

Adeò

Adeò,quod per illud verbum: *Ante ellos* eſt aſſignata certa forma, vt coram eis fiat examen, & omnes interueniant in approbatione.

## Conſideratio IX.

43 CONſiderabant multi hanc pragmaticam ſubſtineri non poſſe, attento, quod vnuſquiſq; fuerit inſignibus Doctoratus munitus, cum ad conſequendum Doctoratum in Regno, ne dum debet eſſe quis licentiatus, verum etiam, & Doctoratus, in quo aliud examen requiritur, vt ex Franch. dec. 111. ſecus in Regno Hyſpaniarum, & in Gallia, in quibus locis profeſſi licentiantur publicè per totum collegium, rigoroſo, & ſollemni adhibito examine, quo mediante Doctores vocantur, & aſſequuntur cunctas dignitates, & priuilegia, & promouētur ad officia, vt affert Ricc. ad Franch. dec. 111. & experientia docet, & proindè dicūt multi Doctores, in Regno ex doctoratu aſſumpto graduatos eſſe, & approbatos, ex quo reſultat illa regula, quod graduati, & approbati á ſtudijs, cum in approbatione, & graduatione fuerint examinati, non debent iterum examinari cap. acceſſimus de etat. & qualitat. Felin. in cap. final. de præſumption. Rebuff. de reſcript. in form. pauper. num. 4 quem ſequitur Ricc. deciſ. 139. nu. 2.

44 par. 4. Paleott. dec. 83. Caputaquenſ. deciſ. 367. lib. 2. Gratian. diſcept. forenſ. cap. 590. num. 12 Quibus ego reſpondebam examen datum in doctoratu fuiſſe ex cauſa conſequendi Doctoratus gradum, ſed ſi quis vellet officium exercere, quamuis Doctor ſit, neceſſe eſt, vt huic nouo examini ſe ſubijciat, & ſic fuiſse ſeruatum in Vrbe in perſonam Auditoris Rotæ, & Sacri Palatij teſtatur Viuius citat. deciſ. 270. num. 5. Nàm Clericus examinatus, prò ordinibus Clericalibus ſuſcipiendis, ſi inde beneficium vult cōſequi, oportet, vt ſe examini exponat, & ſit ad beneficium prædictum approbatus, vt docet Nau. cōſ. 2. de prebend. lib. 3 & tanto magis in hoc Regno in quo verba Regalium literarum prohibent officià exerceri abſque examine, in illis. *Ordenando, que in paſſar por el dicho examen, ninguno ſea admettido all'eſerçitio delos dichos officios, y occupaçiones:* Adeò, quod officia appetentes ſe examinationi ſubijcere debent, & taceant contrarium tenentes.

Con-

## Consideratio X.

DVbitari potest, vt ad vlteriora materiã concernenti transeamus, quomodò officialibus succurratur, si debent prius examinari, & approbari, & indè eligi, & promoueri,
45 vel prius promoueri, & eligi, & indè examinari, & approbari, videtur dicendum debere prius vocari ad officium à Domino Prorege, & eligi, & inde examinari, quia ex vocatione censetur electus, ea ratione, quia his vocatus electus est, licet multi sint vocati, pau-
46 ci vero electi, ex Matth. c. 10. & sicuti ex gratiarum continuatione proueniente ex peccatorum remissione apud Deũ sequitur glorificatio vitę æternæ Petr. Gregor. Tolosan. syntag art. mirabil. tom. 2. lib. 4. cap. 41. num. 36. ità, & post vocationem à Domino Prorege factam, & gratiam sibi cõcessam de officio, sequi debet
47 examinatio, & approbatio, quæ est glorificatio approbatis Verùm, quia citat cap. Regni Reginæ Ioannæ, incip. Vt status Reipublicæ, iubet prius examinari, & posteà prouideri in illis verbis. Et antequam ipsis de officijs prouideatur, examinentur per Prothonotarium, seù eius Locumtenentẽ,
48 & aliquos de Consilio, & in hac Pragmatica est sic expressum in illis verbis. *Ordenando, que sin paßar por el dicho ęxamẽ, ninguno sea admeɛtido al exercięio delos dięhos officios, y occupaęiones.* Et sic decens est, vt prius examinentur; si prius eligerentur, & indè in examine non fuerint reperti habiles, & approbati, magnum dedecus orirctur magnaq; confusio succederet. Ergò sunt prius examinandi, & indè promouendi.

## Consideratio XI.

SEd pone, quod tempore examinis, examinandus pœnes illos dominos de Iuncta fuerit impeditus ab aliquo prętextu, quod alia officia exer-
49 cuerit, vel delictum commiserit, & non fuerit syndicatus, vel punitus, an possit impediri, & Domini de Iuncta possint se in hoc intromictere pro negatiua concludo ea ratione, quia illi Domini se conuenerunt ad examinandum, ex verbis Pragmaticæ: *Se junten vn dia de cada semana en casa del Regente de Collateral el dia, y hora, que les señalaredes, paraque ante ellos sean examinados los que pretendieren occuparse en ofşiçio.* Taliter, quod tempus examinis est tempus digestionis, habilitatis examinandi, & super examine tantum simul cõuenerunt. Ergo de alijs cognoscere

50 ſcere non valent. Poſſet tamen examinandus ſyndicari, ſi non fuerit ſyndicatus, vel ſi ſyndicatus, de alijs de quibus rationem nō reddiderit, vt per Mut.
51 deciſ. Sicil. 5. Reg. de Pont. deciſ. 26. & iterum in tract. de poteſt. Proreg. tit. de diuerſ. prouiſionib. cap. de poteſtat. ſubſtituend. in offic. num. 9. & in Regno adeſt Prag. de ſyndicat. Official. & Carrab. ſi allegare licet, ſingular. 135.

## Conſideratio XII.

ET quis ſi fuerit admiſſus ad vnum officium, quo finito fuerit de alio ſimili prouiſus, an debeat pro illo ſecundo ſuſcipiendo iterum examinari;
52 multi aſſerunt, non debere vlterius examinari, nec reprobari poſſe ſemel approbatum, etiā ſi imperitus cognoſcatur, ex regul. l. 2. Cod. de profeſſ. & medic. lib. 10. Cum vera ſit illa regula, quod ſemel admiſſus, & approbatus, non poteſt reprobari, Gratian. diſcept. forenſ. cap. 590. num. 12. Ego verò diſtinguendum cenſeo. Aut officium ſecundo loco obtemptum, erit maius priore, quod exercuit, aut verò erit ſimile. Primo caſu pono exemplum, quod quis officium exercuerit Auditoratus Prouinciæ, inde ad iudicatum M.C. fuerit promotus, debet iterum examinari, quia eſt nouus titulus, maius officium, & ex tituli no-
53 ui acquiſitione, debet iterum examinari, Gratian. diſcept. forenſ. tom. 1. cap. 167. nu. 54. ſumitur exemplum, quod ſi quis fuerit admiſſus per Ordinarium loci ad vnam Parrochialem Eccleſiam, inde petat alteram, non obſtante, quòd in prima fuerit examinatus, & approbatus, debet iterum ſe ſubijci examini in ſecunda, &
54 ſi inſufficiens reperiatur, poteſt reprobari, ex Oldrad. conſ. 18. num. 1. in princip. Ricc. deciſ. 374. num. 9. par. 4. qui dicit non poſſe ad ſecundum admitti, niſi diligentiori inueſtigatione adhibita cuiuſuis quali-
55 tatis ſit, ſequitur Ceſal. conſ. 128. num. 7. & quod ſemel approbatus, ſi reperiatur inhabilis, poſſit pro bono publico reprobari; imò coggi ad renunciandum, ob defectum ſcientiæ, cum imperitia ſit cunctorum malorum maior, concludit Gratian. diſcept. forenſ. tom. 1. cap. 186. nu. 51. & 52. Secus ſi ad officium inequale, & ſic minoris qualitatis pro-
56 moueretur, quia tunc cum ſit conceſſum maius, non poteſt denegari minus, & res iudicatur ab eminentiori qualitate, l. quæritur ff. de ſtat. homin. Panormit. in cap. ex litteris de cōſtit. Aut verò ſecūdo caſu officium ſecundū, ꝙ petierit, erit

 equale,

equale, nempè de officio Auditoratus Prouincię ad aliud Regium, idest alicuius Regiæ Ciuitatis transitum fecerit, vel è contra, cùm non dicatur vnũ maius altero, sed paria, & similia, & regula se habet, q pat in patem nõ habet imperium,
57 tunc non debet iterum examinari, & sufficit primeua admissio, & approbatio, sumitur exẽplum, ex Ricc. decis. 140. num. 4. & iterum decis. 374. in princip. par. 4. qui concludit approbatum ad Canonicatum, vel dignitatem in Colleggiata Ecclesia, non examinandum esse, si ad similem dignitatem promouetur.

# Consideratio XIII.

Dixi supra, quod hoc examẽ seruatur in Regno Franciæ, in Alma Vrbe, & alijs locis, pone, quòd quis fuerit examinatus, & approbatus in Alma Vrbe, an possit in nostro Regno officium petere absq; 
58 approbatione. Quæstio hæc dependet ab illa, num quis possit exercere officium suum in alieno loco, Bartol. in l. Apud proconsulem ff. de manumiss. vindict. infert Notarium non posse Insttumenta conficere extra locum, in quo creatus est, ratio est, quia eius officium dicitur nudum ministerium, & non est extendibile vltra locum, in quo constitutus est, sic sentit Abb. in cap. cum P. Tabellio de fid. Instrum. col. final. Alij exemplum adducunt in confessario, qui licet sit appro-
59 batus in sua Diœcesi, non valet tamen extra illam confessiones audire. Alij contrarium sentiunt, quod producẽdo nempè litteras testimoniales de apptobatione in Vrbe facta, possit absq; approbatione in hoc Regno ad officium admitti, exemplum sumunt in Clerico, qui quamuis virtute cap. cum nullus de temporib. ordinat. in 6. & Concil. Tridentin. sess. 23. cap. 8. non potest ordinari, nisi à suo Episcopo,
60 tamèn potest ab alio Episcopo ad ordines promoueri, cum litteris dimissorijs sui Ordinarij, vt experientia docet, & per consequens, cum litteras testimoniales eius examinis, & admissionis in Vrbe factæ produxerit, possit citra examen, hoc in Regno admitti. Ego autem duabus considerationibus fretus contrarium substineo. Prima ex Suarez disputat. 28. sept. 7. num. 1. tom. 4. qui infert, quod licèt sit quis in vna Diœcesi approbatus ad
61 Confessiones audiendas, si tamèn ad aliam Diœcesim se transfert, non potest ibi Confessiones audire absque appro-

batione

batione illius Episcopi, qui potest illum punire, sine sua licentia confessiones audiret. Ergò Romæ approbatus, non potest hoc in Regno ad officia admi-
62 cti, nisi examinatus fuerit. Secunda claræ sunt Pragmaticæ illa verba: *Ordenando, que sin passar por el dicho examen, ninguno sea admectido all'exercicio delos dichos officios, y occupaciones.* Ergò non admictitur, nisi examinetur, nudum enim ministeriũ ab Vrbe sumptum, & productum. Nudissimum erit in Regno, nisi approbatione ab illis Dominis de Iuncta induatur.

## Consideratio XIV.

DIgnum consideratione cẽseo illud, quod de facili euenire potest, nempè si fuerit quis examinatus, & non repertus habilis, & non approbatus, an censeatur reproba-
63 tus, & vtrum possit inde petere examinari, & approbari. Carminius Centrella Pauperum Aduocatus conscientiatus vir, dicebat reprobatum non posse amplius approbari, vnde si semel quis non fuerit admissus, non potest vlteriùs admicti, & adducebat mihi Iason. in l. naturalis num. 2. de præscript. verb. ex quo colligitur, quod Doctor, si priuatur Doctoratu ratione delicti, non potest iterum doctorari, secus verò si ex caussa imperitiæ fuerit reprobatus, nàm tunc potest iterum ad Doctoratum admicti, ex Ann. allegat. 123. qui testatur fuisse admissum ad
64 nouum examen quendam reprobatum, ex quo simplicitèr fuit approbatus ex nonnullis, quæ ibi adducit, concludentibus reprobatum posse iterum approbari propter scientiam superuenientem. Ego verò dicebã hunc reprobatũ iterũ ad examẽ admicti debere, & approbari, si sufficiens reperiatur, ne dum ex allegatis per Gratian. discept. forens. tom. 1. cap. 186. num. 33. qui in ter-
65 minis testatur Doctorem ob insufficientiam reprobatum, iterum approbari possi imperitia cessante, & peritia superueniente. Verùm etiam ex citar. cap. Regn. ędito per Reginam Ioannam incip. Vt status, per quod est prouisum Doctores non habiles repertos non reprobari, sed dimicti, vt studeant, litteris incumbant, & proficianr,
66 in illis verbis. Vbi verò reperti fuerint non sufficientes, remictãtur ad studium, vt cũ erunt periti prouidebitur eis de officijs. Ergò concludo, quòd possunt approbari imperitia deficiente, & scientia militante; scientia enim, cum triplex sit, eminẽs mediocris, & sufficiens; cost. in tract. de scient. & ignor.

 inspect.

inspect. 62. num. 1. potest esse ex tractu successiuo, quod vno tempore quis videatur imperitus, altero altitudini ingenij vacando, eminentiorem scientiam demonstrauerit, & pro coronide huius materiæ, vsq; ad tertiam vicem, inclusa prima pôtest examinari, & nõ vltra, ad euitandam infinitatẽ, argumento eorum, quæ scribit Gratian. discept. Forens. tom. 3.
67 cap. vltimo num. 29. pro vt dicitur in simili, quando Baro potestatem habet eligendi electos ab Vniuersitate, & replicare, quod electi non placent, non potest vsque ad tertiam vicem ad euitandum infinitatem repetere, quod Vniuersitas alios eligat, vt refert D. Regens Rouit. in prag. 2. de adminis. Vniuersit. num. 48.

# Consideratio XV.

DVbium considerabile proponitur disputatiuè loquendo pone casum, q̃ fuerit quis
68 approbatus ad officia Baronalia, & de annali, & de eo habenti iurisdictionem, & sic in prima instantia censetur, an possit exercere officium Iudicatus secundarum, & tertiarũ causarum. Prima videtur. frõte, negatiuè respondendum, ea ratione, quia isti Iudices sunt distincti, & Iudex primarum causarum, punit Iudicem se-
69 cundarum. Nouar. quæst. forens. quæst. 93. num. 4. & 10. Ego verò contrarium sentiendo, possem dicere, cum huiusmodi secundarum, & tertiarũ caussarum officia dicantur cõsequentia, coherentia, & connexa; primò, quod non requiritur aliud examen, & approbatus ad illud primum, censetur approbatus ad secundum, & tertium idem Oldrad. cons. 18. num. 1. versic. ad contraria. Isti enim tres Iudices pro vno iudicãtur, cum ab eodem Baro ne procedant, adeò quod
70 sententię per ipsos latę, quamuis tres dicantur, pro vna iudicantur, Reg. de Pont. in tract. de potest. Proreg cap. de expens. Vniuers. num. 18. & eruditissimus, & copiosissimus Thor. liberalis ingenij, facit ibi amplum discursum, D. Reg. Tap. in constit. Regn. Magister Iustitiarius num. 5. & post eum Capoblanc. de Baron. auth. tom. 1. prag. 8. par. 1, num. 194. Tamen cum verba Pragmaticæ includant etiã officia Baronalia in illis: *Y Assessores de Tierras Demaniales, y Baronales, y qualesquier otros*
71 *exerciçios, y occupaçiones*. Per quę quicumque officia Baronalia exercet illorum administrationẽ prosequi requiret, absq; approbatione, & ego licet multis consultationib. & Iudicaturis, tam primarum, quam secunda-

cũdarum, & tertiarum caussarum in nonnullis Ciuitatibus, Terris, & locis huius Prouinciç essem occupatus, nunquam volui prosequi post pragmaticæ publicationem, nisi licentiam per Collaterale obtinuissem, donec me examini subijciam. Vnde concludo, quod si quis est approbatus ad officia Baronalia includitur, & censetur admissus ad omnia alia supradicta.

## Consideratio XVI.

ET si tempore relationis domini videntes habilitatem examinandi, examen remiserint, absq; eo, quod illud perficiat, an dicatur examinatus, & admissus cum verba Pragma-
72 ticæ sic se habent: *Paraque el examen se haga, no solo por lo tocante a la Theorica sino à la Pratica, y notiçia de las Prematicas Constituciones, y capitolos d'ese Reyno, y que hecho el dicho examen, declaren en la aprobacion, que hiziessen especificadamente segun la capacidad de los sujetos, paraque ministerio, y essercicio los aprueuan*. Quo casu opus non dicitur perfectum, si non est completum, vulgatis Iuribus,
73 Cesal. cons. 128. infert quæstionem, & ex eo, quando quis videtur notoriè peritus, examen non requiritur, cum literatus habet totum populum in testimonium, & rei demõstratę frustra fit demonstratio, si examen relaxatur, cẽsetur admissus, & approbatus.

## Consideratio XVII.

QVid autèm erit dicendum in paruis Villis, vbi absũt Assessores, & Iudices, & etiam in longinquis partibus, qui per
74 tractant modicas causas, & rationeq modicitatis, & nimiæ instantiæ, an ipsorum examen excusabile sit, Bouadill. tom. 1. politicor. lib. 1. cap. 6. num. 20 virtute Pragmaticæ in illo Hyspaniarum Regno existentis, quod Officiales debent examinari, mouet punctum, & resoluit in locis paruis permicti exercitium absq; examine; tamen cum Pragmatica nostra indistinctè loquatur in illis
75 verbis; *Y qualesquier otros esserçiçios, y occupaçiones de administraçion de Iustiçia*. Ego contrà Bouadill. affirmo examinandos esse; Verùm respectu illorum in partibus longinquis existentium, in quibus caderet labor, dispendiosa erogatio, & periculosum iter; dicerem esse per S.E. eiusq; Collaterale Consilium reparandum, & mandandum, vt in partibus examinentur, nè videatur nutritiua grauaminis, & subiectorum interesse, quo casu omnis lex ad hoc euitandum abrogari debet

debet, ex tex. in cap. autem erit lex 20. distinct. sequitur Capoblanc. tom. 1. de auctorit. Baron. Prag. 3. num. 195. ad med.

Et similiter adest in aliquo loco Capitaneus approbatus,
76 ex aliqua caussa à loco abest superstite Locumtenente, tamen in examine non admisso, vtrú exercere possit, Bouadill. citat. lib. 1. politicor. cap. 6. num. 23. tom. 1. affirmat, non debere examinari, si per paucum tempus exercet, eadem ratione, quod sicuti tolleratur
77 exercitium, & administratio Iustitiæ per Ciuem, & loci naturalem, itá permictitur administratio absque examine, quod dictum ego impugno ex ratione supradicta.

# Consideratio XVIII.

SEd si quis fuerit in examine approbatus, & ad officium à Domino Prorege promotus, & expeditus ordo per Scriptorium Cancellariæ directus,
78 pro Patentalium litterarum expeditione, vt moris est, tamen non fuerint relaxatæ, sed ipsarum expeditione pendente, fuerit per Dominum Proregem circa examen aliud ordinatum, nempè noua forma examinis tradita, vel illa primeua alterata, & post hæc patentales litteræ fuerunt consignatę, vtrum sufficiat illa primeua approbatio, vel alia noua requiratur, posset hæc quæstio
79 resolui ex illa actus quomodo cōsideretur, si inchoatus, consumatus, aut verò perfectus sit, ex adductis per Mar. Giurb. decis. Sicil. 82. inchoatus enim dicitur, quandò per Dominum Proregem publicatur, & fit ordo per Scriptorium Cancellariæ pro patentalium expeditione, consumatus iudicatur, quandò sunt expeditę, & consignatæ, perfectus censetur quandò est capta possessio, dubium oritur ex infrascriptis verbis Pragmaticæ: *Los que pretendieren ocuparse en officio.* Et in alijs: *Y ordinando, que sin passarpor el dicho examen, ninguno sea admectido all ejercio delos dichos officios, y occupaçiones.* Et ex hoc triplici actu, triplex tempus cōsideratur. Primùm, quando cōceditur officium per S. E. & publicatur, quod ab ea dependet. Secundùm, quandò expediuntur litteræ patentales per Cancellariam, quæ à Dominis Regentibus prouenit, & non est in posse Officialis electi vltrò progredi. Tertiùm, quandò post expedictionem, & consignationem litterarum patentalium fuerit officij capta possessio, quę ab ipsomet officiali pro moto procedit, & in eius voluntate est. At

cum

cum inter iſta tempora interueniat nouus ordo Domini Proregis, qui nouam formam examinis tribuit, vel illam primeuam alterauit, & non ſit deuentum ad vltimum actum perfectum, nempè poſſeſſionis adeptæ per officiales locorum non poſſet admicti. Quidam aſſerunt ex verbis in dicta Pragmatica expreſſis: *Y ordenando, que sin paſſar por el dicho examen ninguno ſea admetido all'eſerciçio de dichos offiçios, y ocupaçiones.* Rationem aſſignant, quia electio non dicitur perfecta in ſuo eſſe ſine litterarum expeditione, ex Bellamer. deciſ. 110. col. 4. ſine quibus poſſeſſio denegatur, ex dictis per Ricc. deciſ. 398. num. 7. par. 4. tanta eſt enim vis poſſeſſionis, & adminiſtrationis, quæ non transfertur ex ſola commiſſione, D. Reg. Rouit. in prag. 5. de Baronib. num. 10. & 11.

Alij concludũt regulã eſſe veram, quod examinatus, & approbatus; non debet iterum
80 examinari, nec reprobari poteſt, ex adductis per Ricc. citato loc.

Alij diſtinguunt, aut nouus ordo à Prorege datus ſpecificè loquitur poſſeſſione capta, vel non capta, & in ſua forma
81 debet actendi, aut verò vltrò progreditur, nominando perſonas electas, ideſt officiales electos, & ad officia non admiſſos, & tunc non debet poſſeſſio officij ei concedi, niſi noua forma per Proregem tradita adimpleta, & ſic de nouo examinari debet.

Ego verò contrarium ſentio, & ad id fundandum præmicto, quod quando Prorex
82 concedit alicui officium, & per ordinem per Scriptorium fieri litteras patentales iubet, fundãs ſe in approbatione iam facta, quæ neceſſario præcedere debet electioni, ex iſta conceſſione ille officialis conſequitur ſuum principale ius, nempè electionem in ſui perſonam à Prorege factam, argumento eorum, quæ habentur in cap. vltim. de conceſſ. prębend. hoc præmiſſo, nõ eſt dubitandum,
83 quod etiam ſi actus electionis non ſit conſumatus per litterarum conceſſionem, neque perfectus per poſſeſſionis conſecutionem, & noua fuerit forma tradita per Viceregem, nõ eſt ſubijciendus alteri examini, nec noua approbatio requiritur, ſed primeuæ ſtandum, cuncta enim requiſita ex electione, & promotione per Proregem factæ, nempè litterarum expeditionis, & conſignationis, ac poſſeſſionis capturæ, non ſunt ſeparata, non diuerſa, non diſtincta, nec mentem Principis mouentia, dum illum, vti approbatum elegit,
84 ſed ſunt ſucceſſiua, continuata,

annexa,

annexa, coherentia, & indiuisibilia, quo casu, cum à principio ille consequutus fuit ius, & officium, eiusq; titulum, non attenditur possessio, ex Boer. decis. 24. numero 8. illa autem, quæ interueniunt inter duos actus, sunt quę illos actus diuidunt, & impediunt, idest inter tempora duorum actuum interueniat tẽpus medium, quod tempus medium consideratur inter duo tempora, nempè solutionis, & conuentionis, glos. in l. emptor in versic. medij ff. de reiudicat. at cum in casu proposito inter illud primum tempus conces-
85 sionis officij, & possessionis ipsius intercedit nouus ordo, nouam formam tradens, non impedit, nec contradicit, neque medium tempus vocatur, ita vt nouum examen requiratur, sed primum sufficit.

Non obstat decisio Ricc. 374. par. 4. Quia in illo casu
86 aderat noua prouisio facta per Summum Pontificem, post illam obtemptam ab Episcopo, & meritò illa noua Papæ prouisio nouum examen merebatur.

## Consideratio XIX.

Casus ponderatione dignus proponitur. Si quis se examini submiserit, approbatus ad officium electus, & inde eius possessionem adeptus sit,
87 inde fuerit repertum, quod erat inhabilis ad illud suscipien dũ, vel quod erat suspensus, vel priuatus, vel quod erat Ciuis illius loci, siue Prouinciæ, an promotio substineatur, Rebuff. in practic. tit. forma dispensationis, glos. 2. num. 9. Loquens de collatione benefi-
88 cij ante septemnium asserit collationem non valere, & Ricc. celebris nominis in decis. 130. par. 4. asserit, quod hic promotus irregularitatem incurrit, & proinde delinquens hic officialis iudicari debet, puniri, & ab officio remoueri. Ego verò sic
89 distinguendum censeo; aut officialis tacuit esse Prouincialem suspensum, vel priuatum; aut verò concedenti expressit, si expressit, & manifestauit, absq; dubio cõcessio valet, quia per expressionem factam Principi, censetur illa qualitas purgata: Aut verò tacuit, & subdistingue, aut siluit credens bona fide eligi posse, aut verò inaduertentèr, si primo casu illa credulitas mitigare debet Principem, licet differentia sit inter scire, & credere, vt per Cost. in tract. de scient. & ignorant. iur. & fact. inspect. 62. Si secundo casu inaduertentèr, est ferè parcendum, & pro vtroque casu docet, Fusc. de visitat. lib. 2. cap. 28. n. 37.
90 & 38. Et alia est ratio, quod quando

quando quis illegitimus promouetur ad ordines sine dispensatione, non efficitur irregularis, sed peccat, Rebuff. in practic.tit. de dispensation.ration.ętat. vers. videamus n.13. Si verò tacuit esse Prouincialē illius Prouinciæ, vel Ciuem illius loci, in quo fuit electus, & tunc, quia dicitur ignorantia supina, punitur, & priuatur, promotus enim censetur præ-
91 cedente examine, neque Princeps concedendo dignitatem, censetur voluisse concedere per vias insolitas, & abusiuas, sed secundum cōsuetudinem, quæ seruatur, in terminis sic concludit Gratian. discept. forens. tom. 1. cap. 186. nu. 82. & pluribus ibi allegatis. Cautū est enim in iure officiales in
92 propria patria, vel in Prouincia non esse admictendos, & Io. Bapt. Thor. Neapolitanus immortalis famę, qui omnia vidit, & interpretatus est in eius compend. decis. tom. 2. versic. officialis in propria patria fol. 402. plures casus nar-
93 rat. Sed recordor ego fuisse in hac Prouincia electum, & admissum absq; scrupulo Auditorem Scipionem Magnacerbo Sereni, & inde Auditorem Alexandrum de Stefanellis dictæ Terrę Sereni eruditum virum, qui biennium non compleuit, ex quo vitam morte cōmutauit, & eius anima requiescat in pace. Si verò post possessionem captam detecta fuerit eius inhabilitas, & insuffi-
94 cientia ex caussa imperitię potest pro bono publico reprobari, imò coggi ad renunciandum, vt dixi supra, ex Gratian. discept. forens. tom. 1. cap. 186. num. 51. & 52.

## Consideratio XX.

Alia se offert consideratio cæteris principalior in illis verbis positis in Pragmati-
95 ca Neapoli publicata pro exequutione alterius præinsertæ in illis verbis: *Comandamo, che tutte quelle persone, che pretenderanno essercitare li sudetti Officij, che sia necessario esser Dottori, tanto per Giodici de Vicaria, & altri officij in questa fedelissima Città, come nelle Prouincie, & altri luochi del presente Regno tanto Regij, come de Baroni, ò d'altra qualsiuoglia Iurisditione, nō possano essere admessi all'essercitij di detti officij, se nō sarāno essaminati*
96 *dalla Giunta.* Quę sunt officia, in quibus requiritur, vt officialis sit Doctor, & in quibus se examini exponere debet de Iudicibus M. C. V. & Auditoribus Prouinciarū, non est faciendus sermo, cū necessitate Doctores else debēt, sed tantū de officijs Baronalibus, & de illis Regijs, in quibus sūt distinctæ personæ, vna pro guberno, & dicitur

dicitur Gubernator, altera pro caussarum decisione, & Assessor, siue Iudex, & in multis locis Consultor vocatur. Vnde videndum est, primo qui sint actus quos officiales idiotæ facere possunt absq; consilio Doctoris, hoc enim cognito, de-
97 uenitur ad scientiam eius, quod vnicuiq; competit, iuxta regulam, cognito vno de contrarijs, cognoscuntur & reliqua, & in hoc distingui posset, aut sumus in causis criminalibus, aut verò in caussis ciuilibus.
98 Primo casu, cum de vita hominis agitur, & maius periculum imminet, iuxta tex. in cap. de quibus 20. distinct. & cap. prudentiam de offic. delegat. requiritur in omnibus consilium, siue votum Consultoris, quod de iure permissum est, l. prima Cod. de relationibus. l. ab ea Cod. de probationib. In perquirendis enim, & puniendis delictis, desiderantur probationes luce meridiana cla-
99 riores, l. sciant cuncti, Cod. de probationib. cuius verba sunt adeò ponderanda, quia Iureconsultus in alijs vtatur verbo statuimus, iubemus, decernimus, constituimus, & alijs similibus, in hoc tex. vtitur verbo sciant cuncti, quasi edictum generale emanare intendit ad omnium scientiã, & cognitionẽ, vt in punitione criminum probationes clariores adhibeãtur, quas euius ponderis, qualitatisuè sint, essequè debeant,
100 Iudex idiota ponderare non valet, ergò concludo votum Doctoris requiri in caussis criminalibus.

Si verò secundo casu sumus in caussis ciuilibus, circumscrip-
101 ta illa disputatione, si officialis tenetur sequi votum sui Cõsultoris, & si ab vna parte tantum, vel ab vtraque fuerit petitum, de quo infra dicam, distinguendum esse multi asserunt, aut circa interlocutoria, siue ordinatoria, quæ ordinem
102 processus respiciunt, aut verò diffinitiua re, quæ finem liti imponit tractatur, si primo casu, & sic quoad ordinatoria, concludunt non esse necessarium votum, siue Assessoris Consilium, ex Bald. in l. vltima, col. antepenultim. sub num. 12. vers. ex dictis, Cod. ne liceat tert. prouoc. per tex. l. prima §. quod in sententijs
103 ff. quando sententia sit, & c. Roman. in l. si quis mihi bona § penultimo ff. de aquir. hæred. Marsil. cons. 80. num. 7. Ego verò contrarium affirmo in omnibus decretis, votum Consultoris adhibendum esse, ex Specul. in tit. de requisit. consil. sub num. 12. vers. nota, quod non solum, Cepoll. cautel. 77. versic. tertia
104 cautela est, Rip. in rubric. de rei vendicat. num. 5. imò

Rip.

Rip. dicit opinionem Baldi esse periculosam, & mouetur, ex tex. in cap. caussam matrimonij, & ibi Abb. tertio notab. de offic. delegat. in quo habetur,
105 quod si sunt duo delegati, & vnus sine altero sententiam ferre non valet, intelligitur de sententia, tàm diffinitiua, quàm interlocutoria; decreta enim interlocutoria geminata sunt irreuocabilia; Caroec. decis. cas. 56. num. 34. Gratian. decis. March. 33. num. 12. & 13. & decretum interlocutorium
106 transit in rem iudicatam, prout & diffinitiuum, licet possit Iudex illud reuocare vsque ad sententiam diffinitiuam, ergò concludo in caussis ciuilibus, omnia decreta interlocutoria esse cum voto Doctoris proferenda.

Sed quid in decretis ordinatorijs, nempè termini datione, publicatione, & conclusione,
107 licet Io. Bapt. Asin. in practic. Iudic. §. 14. cap. 3. differentiam faciat inter acta ordinatoria, & acta Iudiciaria, non desunt asserentes consiliũ Doctoris non requiri, ea ratione, quia terminus probatorius in causa necessarius est, & vtrique parti communis, publicatio insuper est necessaria,
108 ex illa enim publicantur dicita, & testificata, ex adduct. per Paul. de Castr. in l. 1. in princip. num. 4. ff. de appellat. conclusio, cum post illam res satis clara est, ex Bartol. in l. si mater, §. eadem in fin. ff. de except. rei iudicat. votum non requiri, cum regula est, quod post conclusum in caussa, alleri non potest. Ego verò contrarium sentio, & affirmo in
109 istis decretis votum Doctoris petendum esse, primò in termino probatorio, qui dicitur ingressus ad iudicium, & commissio ad caussam, quae cum solum ad Principem spectet, Bald. in l. ne caussas, C. de appellationib. consilium adhiberi debet, vt sciatur, si impartiri debeat, vel non.

In publicatione, in qua te-
110 stificata publicantur, & in conclusione, quae praeambolũ proximum ad sententiam tribuit, requiritur Doctoris votũ.

Et denique consilium Do-
111 ctoris semper adhibendum est in omnibus, in quibus periculosa controuersia partium imminet argumento eorũ, quę dicit Fel. in c. ex parte, nu. 5. & quoties articulus est iuris. Thom. in compend. decis. to. 2. verbo Iudex, fol. 312. col. 2. Ergò de primo ad vltimũ cõcludò verba Pragmaticae esse intelligenda, vt in omnibus adhibeatur votum Doctoris, si alias enim sequeretur, ne dum maximum inconueniens oriretur, & damnum notabile partibus litigantibus succederet

D 2

ret, verum etiam, & contrauen tio Regiæ Pragmaticæ, omnes enim officia peterent, administrationem assumerent, tam Regiorum, quã Baronalium, & pretextu, quod consilium sapientis, & votum Doctoris, non in omnibus requiratur, sed tantum in diffinitiuis omnia facerent, omnia tractarẽt, & acta ipsi agitarent, cum euidenti nullitate, & Assessores, siue consultores de vento seruirent, & Pragmatica frustra esset emanata verum ad contrarium afferentium cognitionẽ, necessariam putatem declaratione officiorum, in quibus ordo Doctoralis sit necessarius, & ad euitandum confusionem.

Sed in quibus casibus precisè decretum requiratur, vide
112 Simoncell. in tract. de contractib. minor. in præfat. à num. 63. ad fin.

Præterea si scire velis, quando iurisperiti consilium est petendum, vel repellendum, &
113 de nonnullis alijs, vide Io. Bapt. Asin. in practic. Iudic. §. 29. à cap. 1. ad cap. 35.

Huic meæ opinioni multi aduersantur, & dicunt verba pragmaticæ indigere interpetratione, & declarari, quæ sint officia, in quibus necessa-
114 rium est officiales esse Doctores, multa enim possunt á Doctoribus fieri, quę per idiotas possent adimpleri; & proinde iusta fuit pragmatica edita, quæ est decima de offic. iudic. in §. 64. qua cauetur Doctores, qui se occupant in ne-
115 gotijs, in quibus dignitas Doctoratus non est necessaria, vti idiotæ reputentur, & eis soluatur, quod decisũ fuisse in Sac. Consi. refert D. Reg. Rouit. in prag. 6. de Commiss. num. 11.

# Consideratio XXI.

Postquam Consultoris, siue Assessoris sermonem sum agressus, necessarium arbitror aliqua ponderare, & sciendum,
116 quod si Consultor, vel alius Iudex statim accepto processu sententiam profert, vel consiliũ præstat, dicitur festinàter prolatum, præcipitata arguitur voluntas, nouerca Iustitię iudicatur, & dicitur nullum, Marc. Mantic. sing. 119. Surd. decis. 334. lib. 2. n. 5. & si transmictitur procesus pro vno articulo decidendo, non potest vltra illum se extendere, nec
117 aliquid noui facere, neque testes, aut scripturas recipere, cũ iurisdictionem nó habeat, sed tantũ super articulo trasmisso ad votandum prouidere, Marant. consi. 35. n. 10. & 11. potest tamẽ disputare ad veritatis indaginẽ, & facto opponere. Par. de Put. in tract. de syndicat. in verbo Assessor cap. 1. incipien. an potestas, num. 16.

Consi-

# Consideratio XXII.

Vlterius quæri potest Consultor à quo eligatur, & dicas, quod in Terris Regijs eligitur à Domino prorege, quan-
118 doque autem ab ipso officiali eligitur, facultate à Domino Prorege attributa, vt ipse officialem eligat, in Terris verò Baronum ab ipso Barone, &
119 quandoque ab eius officiali eligitur. Primo casu, si eligitur à Domino Prorege in Terris Demanialibus, vel à Barone in eius Terra, & tunc subdistin-
120 gue, aut verba commissionis simpliciter sunt prolata, vt procedat cum voto Doctoris, non adiecto, nec expresso nomine, & tunc potest ipse officialis vnum Assessorem eligere, & cum eius voto, procedere, aut verò verba commissionis vltrò progre-
121 diuntur, nempè, vt procedat cum voto talis Doctoris, nominando talem Doctorem, eo casu, cum voto electi decernere tenetur, alias acta sunt nulla, Io. Franc. Capoblanc. qui
122 nonnullas Prouincias gubernauit, & inde Iudex in ciuilibus M. C. V. effectus, rectè se gessit, in omni re modestiam habuit, tom. 1. de Baron. authorit. prag. 3. num. 214. Si verò Consultor non est in litteris patentalibus assignatus, neque dictum, vt procedat cũ voto; cum virtute Regiæ Pragmaticæ in Regno teneantur Officiales idiotæ cum voto Doctoris se gerere, potest ipse Officialis cum interuentu am-
123 barum partium Consultorem eligere, ex practic. Afin. §. 25. cap. 10. num. 20. & seq. & hoc decretum potest reuideri per alterum Iudicem eligendum per Baronem, & hic est
124 casus, in quo Baro sententiam reuidere facit, idē Capoblanc. cit. loc. num. 210. & si vna pars in electione Consultoris concurrit, alia dissentit, electio debet fieri præuia lista suspectorum partibus auditis, ex theorica Bartol. in l. prima de relationibus, Muscatell. in practic. de appellat. pat. 1. glos. demandatur, num. 61. Trois.
125 ad prag. 1. de syndicat. Official. num. 9. & sic practicatur, & seruatur.

Pro coronide omnium, quę dixi, quod officialis debet examinari; limita, nisi aliter fuerit à Domino Prorege dispositum, & alteratum, quia id debet seruari.

Limitatur etiam, nisi examinandus esset persona valde nota, vel qualificata, vel à maioribus authorizata, vel sit notoriè habilis, & litteratus, supponendus examini non est, sed citra illud ad officium admitti, Cefal. conf. 128. in princip. Ricc. decis. 139. num. 3. par. 1.

par. 1. & decis. 140. num. 3. par. 4. dixi supra num. 73.

Et per hęc sit impositus finis huic opusculo de examine Officialium eligendorum ad administrationem iustitię in præsenti Regno Neapolitano, ædito per me Elisæum Danza à Montefuscolo V. I. D. & in Regia Audientia Principatus Vltra caussarum patronum, sic currenti calamo, nám ceptum fuit die 7. Martij 1632. in qua celebratur festiuitas gloriosissimi Thomæ de Aquino, cuius præcibus Deum præcor, cum verbis eiusdem B. Thomæ, vt linguam meam erudiat, in labijs meis gratiam suę benedictionis infundat, & cuncta ad sui seruitium instruat, & completum die 12. eiusdem mensis in qua festiuitas B. Gregorij Papę celebratur, & cum sit compilatum inter festiuitates duorum Sanctorum, & Sanctę Ecclesię Doctorum, illi in omnibus me subijcio, & eius pręceptis me submitto, & protector, quod si quid forte dixi, quod decretis, vel traditionibus Sanctæ Matri Ecclesię contradicat, ac si non esset dictum, & pro irrito volo haberi, & declaro. Et si quidquam correctione dignum videbitur, pręcor rectiora afferentem, vt te-nuitati ingenioli mei ascribat, & breuitati tẽporis attribuat.

*Elisæus Danza à Montefuscolo.*

